



trahant materiam electricam in extima
superficie existentem, adjuvantur vires
repellentes in superficie opposita, itaque
repulsio fortietur effectum, exteriorque
superficies fluido suo spoliata fiet nega-
tive electrica: quem defectum recupera-
re non poterit attractione fluidi alterius
a particulis sibi vicinis, utpote quarum
attractionem non superet nec attractione
ulterioris armaturæ adjuvetur, cum ista
se non extendat ad particulas materia
electricæ adhuc saturatas sive circumdatas.
Discursus iste qui cum ea quam in phy-
sica ad mentem NEUTONI & BOS-
COWICHII hoc anno tradidimus theo-
ria optime congruit, ex eo etiam con-
firmatur, quod operatio successum non
habeat, si vitrum sit majoris profundita-
tis, quam quæ tantillo excedat interval-
lum, ad quod vehementior attractio ar-
maturæ exterioris pertingat. Si enim
major sit ea profunditas jam adcumulatae
in superficie interna materię repulsio ju-
vari haud poterit ab attractione extimæ
armaturæ, quæ ad eam profunditatem
non exporrigatur; quare cum vis, qua par-
ticulæ fluidum suum attrahunt, superet
vires superficiei alterius repellentes, hæ
autem ob majorem distantiam a corpore
symperi electrico aut armatura exteriore
non adjuventur; experimentum effectu ca-
rebit.